



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XIX. Magdalena Christo mittit epistolam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

## ELEGIA XIX.

MAGDALENA CHRISTO *mittit  
epistolam.*

**M**ITTIT amans ceras, sed quas, heu! mortis  
 ad urnam  
 Pulveream tristi pulvere spargit Amor.  
 Orbis Amor, duri quem vis grauat aspra doloris,  
 Fraternalisque graui torret ab igne cinis:  
 Et qui fulmineis ceu fax è nubibus ignem  
 Haurit, vt inde vomat, quas bibit imber aquas.  
 O sit fas auidis oculis libare querelas,  
 Quas muto gemitu scripturit ager Amor!  
 An nigra ceratis inserpit sepia sulcis,  
 Intingit se fauo suaue-liquente stilum?  
 Artifici an tabulis instillas rore Lyæum,  
 Mellitæve bibunt dulcia sensa notæ?  
 Cernere an est roseo florere pugillar in ostro,  
 Aureæve ostrifero scripta micare libro?  
 Inspexi facili facundas imbre tabellas.  
 Hei mihi! de lacrymis omnia vota natant!  
 Luctifer inde latex cerâ num cerite noxas,  
 Et vetus opprobrium denuò mæror arat?  
 Carnificesque trahens ægro sub pectore curas,  
 Quæ pudor erubuit probra tulisse, feret?  
 Sit piguisse semel satis & super: vna ruboris  
 Lex satis est, rursus nolle pigenda sequi.  
 Cur igitur pluuio dolor exprimit ore querelas,  
 Mæstaque de mæsto pectore vota fluunt?  
 Heu! tibi tot falso qui dictat ab imbre lituras,  
 Ille iacens gelido marmore, frater erat.

Hoc

Hoc à fonte cadit liquor æger, & humida luctus  
 Littera, quid surdum iussa silendo loqui.  
 Hinc dolor, argutoque fluens de rore querela,  
 Quam notat humectis sparsa litura genis.  
 Qui numerat fluctus, & qui metitur arenas,  
 Is tua vota sub his enumerabit aquis.  
 In bibulam ceram iugi manare videres  
 Imbre genas, candor quas niuis instar habet.  
 Non frons prima libri, soleanis littera, Salve,  
 Siue breui titulo dulce propinat Aue;  
 Non hinc, CHRISTE veni; quid vota moraris  
 Amantis,  
 Et nimis, ah! lento cur pede fallis opem?  
 Non hinc Theta nigrum tristis nota mortis ad urnam  
 Feralem, heu! frater, puluis & umbra iacet,  
 Et situs, hic vox vna sonat, quam lacryma signat:  
 Aeger amicus obit, quem pius hospes amas.  
 Sit satis hoc: quid plura? moras Amor odit aman-  
 tum:  
 Vt celer est, celeri sic volat ille stilo,  
 Hic ubi scribit Amor, vel apex satis vnus amanti;  
 Et licet immenso par nota parua libro est.  
 Ecquid opus longos chartis intexere sulcos?  
 Cuncta Deo scripsit flebile nomen: AMAS.  
 Illic Mercurio duce nuntius auocat ales  
 Pegaseam pennam, quam leuis aura vocat;  
 Per vada, per campos, per aperta, per inuia rerum,  
 Optato donec limine sistat iter.  
 Accipit obuinctas gemmas linoque tabellas  
 CHRISTVS, adhuc Soly mis auis exsul agris.  
 Illicet ut tristes tabulas aspexit IESVS,  
 Consciens arcano cera quid ore premat,  
 Lustrat,

Lustrat: & vt legit facundo scriptile fletu  
Nomen AMAS; itidem scripsit & æger, AMO.

## E L E G I A XX.

*Alterâ Epistola MAGDALENÆ ad  
CHRISTVM pro suscitatione La-  
zari.*

**M**ENS erat ignotis IESV te quærere terris,  
Seu fera silua tegat, seu specus alta pre-  
mat:

Iamque meæ primo stabant in limine curæ;  
Te mea spes volui, non tamen apta, sequi.  
Vix cœpi ire gemenisque, labanisque, tremenisque  
& anhelans,

Heu! cecidi in dubios lapsa relapsa pedes:  
Labentemque solo dextrâ lauaque clientes  
Sustinuere manu, sustinuere sinu.

Vox simul vt rediit; Mi Lazare, respirantis

Heu! vox prima fuit: altera, CHRISTE redi.  
CHRISTE redi, ô quando! nimis, ah nimis asper  
amanti,

Irrita mendaci vota moraris ope!

O quis erit tandem ille dies, qui sistat IESVM!  
Sed quid? abest mea lux, fors & abesse volct.

O quis erit istas qui lenè susurret in aures,

Quod voueo toties anxia, CHRISTVS adest!  
CHRISTVS adest; & adest CHRISTO comes ar-  
biter æui,

Ac necis & vitæ præses & obses Amor.

Sed quid ago? blandis magis aspero vulnera telis,  
Dulciaque in luctus somnia pasco meos.

CHRIST-